



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Regvla Morvm Sive Tractatvs Bipartitvs De Sufficienti Ad  
Conscientiam Rite Formandam Regvla In Quo Usus  
Cujusvis Opinionis Practice Probabilis Convincitur Esse  
Licitus**

**Terillus, Antonius**

**Leodii, 1678**

Quæst. XXIV. Vtrùm Probabilitas rectè explicetur per motivum ac iudicium  
prudens, & per Auctores prudentes?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77827](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77827)

# QUAESTIO VIGESIMA- QUARTA.

*Verum probabilitas rectè explicetur per motivum ac iudicium prudens, & per Auctores prudentes?*

**R**LURES ex Auctoribus benignae sententiae ea motiva dicunt esse gravia ac probabilia, quibus quis prudenter movetur ad assensum, seu quae fundant assensum prudentem. Ego *quaest. 2. de Conscientia probabili num. 9.* ostendi quid in hac explicatione desideretur. Celladeus *lib. 2. quaest. 2.* recursum hunc ad prudentes & ad iudicium prudens pro probabilitatis explicatione eo titulo improbat, quod appellatio fiat ad eos, qui determinari non possunt. Unde sicut in *quaest. superiori* ex hoc capite damnabat recursum ad rationes & Auctores graves, ita hic ex eodem titulo rejicit recursum ad prudentes, & ad iudicium prudens. Ego, ut occasionem habeam respondendi ad ea, quae ad intentum suum probandum allegat, pono assertionem sequentem.

## ASSERTIO PRIMA.

*Qui explicant motivum probabile per hoc, quod fundat iudicium prudens, aut quod a prudentibus merito probetur, & verum dicunt, & perspicue ac determinate loquuntur, nec per umbram in circulum vitiosum incurrunt.*

**2. P**ROBATUR assertio, quae totum Celladei intentum in *hac 2. quaest.* prorsus evertit. Inprimis omne motivum probabile meretur assensum, & consequenter fundat assensum prudentem; quia assensus praestitum motivo, quod tali assensu dignum est, non potest non esse rationale ac prudens. Itaque certum est, taliter loquentes verum dicere. Nec de hoc ambigit Celladeus.

**3.** Quod autem perspicue ac determinate loquantur, evidenter sequitur ex superiori quaestione. Quia aliud non intelligimus per sapientes aut prudentes, quam peritos materiae, de qua tractant. Maxime autem prudentes dicuntur, si de moralibus agant, cum res ad mores spectantes sint propria materiae prudentiae. Ergo tam discernibilis est prudens, quam peritus rerum moralium. Sed periti rerum moralium facile & clare discerni possunt, ut constat ex *quaest. superiori*. Ergo & prudentes sunt facile & certo discernibiles. Praeterea quidquid auctoritatis ac rationis allatum est *quaest. superiori* ad ostendendum, peritos & facile & certo cognosci, id omne ex aequo probat, sapientes ac prudentes certo & facile nobis innotescere; idque absque umbra circuli vitiosi.

**4.** Nec minus clare scitur, quodnam sit iudicium prudens. Illud iudicium prudens vocatur, quod a perito post debitam diligentiam praemissam elicitor ex vi motivi, quod non ex passione indebitè propellente, sed ex sua magnitudine a perito & probo absolutum assensum impetrat, aut impetrare potest. Haec autem omnia tam ab ipsis peritis per propriam experientiam, quam ab imperitis per effectus ipsos, atque publicam famam certo sciri ac praesumi possunt, ut patet. Ergo iudicium prudens clare ac discernibiliter explicatur. Porro tale iudicium tunc maxime proprie dicitur prudens, quando versatur circa materiam moralem, ut antea dictum est.

**5.** Secundò, nomine iudicii prudentis intelligimus iudicium, seu rationem rectam, quam Aristoteles *6. Ethic. cap. 2.* eam esse definit, quae appetitui recto consentanea est. Porro quae sit ratio recta in hoc sensu (qui propriissime explicat rationem prudentiae) quomodo illa cognosci possit, & absque circulo vitioso explicari, fuse tradidi *quaest. 12. de Consc. prob. à num. 12. ad finem*. Qua de re, & universim de materia prudentiae infra *quaest. 41.* ex professo agetur, ubi ostendam omne iudicium probabile esse prudens; adeoque prudentiam in rebus incertis non minus quam probabilitatem determinari ac dignosci posse. Itaque ad loca citata Lectorem plura de hac re cupientem remitto, quia hic aliud non praetendo, quam taliter qualiter rem declarare, ut objecta à Celladeo solvendi occasionem habeam.

**6.** Hinc sequitur; Celladeum immeritò conquiri, Auctores benignae sententiae non sufficienter explicasse quid per prudentes & prudentiam intellexerint. Omnes enim eadem prorsus ad prudentem & prudentiam in subjecta materia requirunt, quae ad peritiam & probabilitatem postulant; nec segniores in una quam in altera explicanda fuerunt. Hoc verissimum est, quamvis prudentia per alium conceptum explicetur, quam probabilitas. Prudentia enim complectitur non solum obscuras & incertas, sed etiam claras ac evidentes cognitiones. Ergo genericus conceptus prudentiae diversus est ab universali notione probabilitatis. Rursus prudentia, strictè loquendo, solum versatur circa moralia. Probabilitas ad omnia aequaliter extenditur. Demum prudentia peculiarem ad voluntatem operationesque honestas respectum dicit, à quo probabilitas ex sua ratione praescindit; diversi ergo sunt conceptus utriusque. Nihilominus si probabilitas ad materiam prudentiae restringatur, & prudentia in particulari limitetur ad cognitiones incertas, talis prudentia à tali probabilitate non differt, sed utraque dicitur ad convertentiam. Unde quidquid Auctores circa unum dixerint, de altero dixisse aestimandi sunt, sicut reipsa dixerunt.

T 2

ASSER-

## ASSERTIO II.

*Propositum sit ostendere, Celladeum in proponenda Vasquii opinione manifestè errasse.*

Celladeus certò errat in exponenda sententia Vasquii,

7. **O**STENDITUR sic. Celladeus hic §. 2. ut viam sternat ad peculiarem suam, sed falsissimam opinionem, quòd prudentia & probabilitas explicari non possit nisi per ipsam veritatem, dicit Vasquium 1. 2. disp. 58. num. 10. tradere, quòd rectitudo appetitùs, & intentionis finis explicari non possit, nisi recurriendo ad veritatem simpliciter, quæ in conformitate ad naturam rationabilem, quæ rationalis est, consistit. Verùm certissimè errat, quia Vasquez illo loco expressè tradit contrarium, his enim verbis dictum §. concludit. *Quocirca recta ratio practica (quæ haud dubiè coincidit cum ratione prudenti) illa debet judicari, quæ diligenter proponit id, quod videtur conveniens naturæ rationali, ut rationalis est; non quòd (nota bene) conformis sit rei, quam enunciat, sed quia diligenter & prudenter proponit id, quod rectum & consentaneum naturæ rationali videtur.* Et paulò ante in eodem §. dixerat, rationem nostram esse regulam humanarum actionum, prout proponit objecta tamquam consentanea, vel dissentanea naturæ rationali: & mox hæc subiungit. *Sed quia humana diligentia non potest, omnia sine errore assequi, & absque ulla culpa aliquando apprehenditur ut bonum, quod malum reipsa est, ideo illud in re debet dici naturæ humane convenire, aut disconveniens esse, quod per rationem probabilem & diligentem proponitur, sive in re ita sit, sive non.*

Vasquez tenet rationem probabilem, esse rationem rectam.

8. Ecce Vasquez expressè vult, appetitum regulatum esse rectum, quamvis ratio regulans sit falsa, quia falsitas rationis non impedit, quominus illa sit recta, modò sit probabilis & diligens. Quod in sequentibus explicat per hoc etiam, quòd illud iudicium rationis sit invincibile. Præterea tota illa disp. Vasquez nec verbum habet de necessitate, ut appetitus aut intentio finis reguletur à cognitione vera, ad hoc ut sit honestus; imo tradit oppositum, quia totus est in ostendendo, quomodo homo affectu maritali propter debitum finem accedens ad non suam, quam falsò suam existimat, honestè operetur, & non peccet. Certissimè ergo erravit Celladeus in exponenda sententia Vasquii, qui expressè asserit, illud convenire naturæ rationali, quod per iudicium probabile, quamvis erroneum, proponitur tamquam conveniens. Porro, per Vasquium, idem in præsentia est iudicium probabile ac iudicium prudens, seu recta ratio practica, cujus rectitudinem explicat per diligentiam & invincibilitatem iudicii eliciti, atque in hanc tandem refundit rectitudinem appetitùs regulati, utpote qui per illum ideo rectus est, & conformis naturæ rationali, quia regulatur à iudicio, per quod objectum diligenter & invincibiliter, seu prudenter & probabiliter repræsentatur ut conveniens naturæ rationali.

## SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objectio 1. 9. **O**BJICIT primò. Appellare ad sapientes laudabile est, quando certò constat illos esse tales. At appellatio præsens non est ad tales, sed ad alios, qui magis determinari non possunt, quam viri periti & graves, ad quos in

superiori quæst. appellatum est. Ergo explicatio motivi probabilis per iudicium prudens non determinat sufficienter, quid sit prudentia, aut qui sint prudentes, ad quos hæc explicatio appellat. Accedit, longè incertior esse istam ad prudentes, quam superiorem ad doctos appellationem, quia multi ultrò fatentur se in Theologia parum esse peritos, qui tamen in prudentia aliis haud cedere se debere existimant. Ergo multi valdè imperiti includuntur in hac prudentum appellatione, nisi res per clausulas talium exclusivas uteris explicetur. Præterea, prudentia multipliciter dicitur. Ergo per recursum ad prudentes nil explicatur, nisi multiplex prudentiæ acceptio distinguatur, & singula membra exactè definiantur, ut sic in aliquo tandem objecto determinatio intellectus perspicuè quiescat. Demum circulus vitiosus non vitatur, quia dicunt motiivum illud esse grave, magni momenti, seu probabile, quod prudentes approbant, aut cui assensus prudenter præbetur, &c. Quod si quæras, qui sint prudentes, responderetur eos esse prudentes, qui non leviter, sed magna cum consideratione, rebusque rectè libratis sententiam ferunt. Ita Celladeus hic §. 1. qui expressè profitetur, se quoque in fine sui tractatus appellaturum ad prudentes certò tales, in quibus meritò vult esse quiescendum.

Respondeo inprimis, Celladeum nullos assignare posse prudentes certò tales, ad quos appelleret, ad quos, aut eorum æquales non appellamus in tota hac quæstione de licito probabili usu; quia notorium est, omnes omnino Auctores (quorum complures haud dubiè sunt prudentes) tradere illum esse licitum, atque adeò clarè mentem suam explicare, ut nemo eorum mentem non intelligat, qui oculos à veritatis intuitu sponte non occludit. Præterea mirum est, Celladeum in *initio quæst.* profiteri se appellaturum ad prudentes, cum tamen paulò post expressè insinuet, talem appellationem nec doctrinalem esse, nec à S. Thoma usitatam. Si ergo ex mente ipsius doctrinalis non est, cur eà se ulrum profiteretur.

Respondeo secundò, nos hic sufficienter explicuisse, & infra quæst. 21. clarissimè explicatos esse, quid sit prudentia, & quinam prudentes reputandi sint. Adeo ut nil maneat obscurum aut indeterminatum. Nominatim in rebus moralibus obscuris, quæ sub opinionem cadunt, nemo prudens est, qui etiam peritus non sit; quod adeo clarè ab omnibus benignæ sententiæ Auctoribus expressum est, ut miror Celladeum de hoc dubitare potuisse. Lamentabilis proinde est illa æquivocatio, quòd multi fateantur se imperitos, qui tamen ferre non possunt se imprudentes reputari. Quid hoc ad rem? nolunt reputari imprudentes in rebus obviis, quæ ad illorum statum pertinent, & de quibus peritiam sufficientem habent; sed quòd non reputentur prudentes in materiis, circa quas peritiam non habent, haud ægrè ferunt. Demum qui superiorem, & hanc quæstionem perlegerit, perspiciet, omnia ad motiva gravia & Auctores peritos, ad prudentiam & prudentes spectantia, tam clarè absque terminis correlativis esse exposita, ut nec umbra recursus ad idem, aut ulla circuli vitiosi suspicio esse possit.

10. Et hæc quidem vera sunt de iis, qui reipsa sunt, & certò sciuntur esse prudentes. At præter eos, aliqui præsumuntur esse tales, & illi sunt & dicuntur prudentes quoad nos. Jam eorum auctoritas

toritas fidem illorum, qui ipsis credunt, reddunt prudentem, rationabilem, atque probabilem; quia per extrinseca principia, & praesumptiones de aliorum sufficientia gubernantur. Verum in his omnibus evidens est, mentem sistere in personis determinatis, nec absque limite vagari, ut Celladeus falsò contendit.

11. Objicit secundò. Manifestum est, prudentiam multò magis se habere ad verum, quàm ad falsum. Rursus manifestum est, prudentem rectè ratiocinari, cumque magis verè quàm falsò ratiocinari. Alioquin nil interesset verum falsò inveniri; ideoque frustra adhiberentur consultationes, ac periti frustra consulerentur, non enim alio fine ista sunt, quàm ut veritas ipsa inveniantur. Ergo prudentia non est habitus non magis ad veram, quàm ad falsam rationem se habens, sed est habitus vera cum ratione activus, quatenus discernit media re ipsa conformia appetui rectò, nec assumit media indifferenter se habentia ad conformitatem vel difformitatem eum tali appetitu. Ergo opiniones non magis veræ, quàm falsæ collocari non possunt sub prudentia. Tales autem sunt omnes opiniones æquæ aut minùs probabiles, quæ æqualiter aut magis se habent ad falsum, quàm ad verum. Ergo probabilitas falsò & imperitè explicatur per hoc, quòd fundet iudicium prudens. Ita Celladeus §. 2.

Resp. Celladeum rectè dixisse in prima objectione, quod multiplex sit prudentiæ acceptio. Verum dicti hujus quodammodo oblitus format hanc objectionem secundam, ac si una tantum, eaque strictissima prudentiæ acceptio locum haberet, fundat enim objectionem in definitione Philosophi 6. Ethic. cap. 5. dicentis, prudentiam esse habitum cum vera ratione activum. At hæc est definitio prudentiæ strictissime sumptæ pro habitu, qui semper verum dicit; à quo proinde Philosophus cap. 2. ejusdem libri expressè excludit omnem omnino opinionem; quia per opinionem contingit intellectum errare. Verum nos loquimur hic in minùs stricta significatione, ut patet ex dictis, & fusè declarabitur quaest. 41. ubi singulas prudentiæ acceptiones disertè explicabimus. Itaque argumentum sponte labitur, quia non impugnat assertionem in sensu proprio illius, sed in sensu adversarii, à mente assentientis alieno.

Prudentia magis se habet ad verum quàm ad falsum.

12. Verum ut argumenti invaliditas, & æquivocationes, quas continet, clariùs appareant, singula ponderanda sunt. Inprimis ergo fateor, prudentiam magis se habere apparenter & in persuasionem prudentis ad verum quàm ad falsum, quia debet esse iudicium affirmans & enuncians objectum, in quod tendit, esse verum, idque propter motivum vehementer alliciens, &c. ut explicatum est. Sed si sermo sit de habitu & respectu ad verum reale, certò falsum est, omnem assensum prudentem magis se habere ad verum, quàm ad falsum; quia sæpe solùm se habet ad falsum, nullo modo ad verum, ut patet in invincibili rudium errore. Sub eadem distinctione admittitur altera propositio, scilicet, quòd prudentem rectè ratiocinari, sit illum magis verè, quàm falsò ratiocinari, siquidem illa propositio non semper est vera, nisi sermo sit de verisimilitudine seu veritate apparente, quia certum est prudentem sæpe prudenter, cautè, ac rationabiliter ratiocinari, etsi re ipsa erret, & falsum pro vero habeat. Porro consultationes & peritorum consilia ideo adhibentur, ut ipsa veritas habeatur, ubi illa certò haberi possit. At

R. P. A. Terilli Regula morum. PARS I.

in incertis adhibentur, ut veritas rationabiliter praesumatur ac credatur, quia in rebus ejusmodi ulterior finis est stultus & impossibilis. Eodem prorsus modo distinguo ultimum consequens. Prudentia est habitus magis inclinans ad verum quàm ad falsum exiimatum, concedo. Semper magis inclinans ad verum reale, quàm ad falsum, nego consequentiam, quippe quæ in sensu negato est apertè falsa, nisi sensus quaestiois mutetur, & prudentia sumatur strictissime pro habitu, qui nunquam errat, quemque Aristoteles definit esse habitum cum vera ratione activum. At si eam acceptionem sequamur, sensus quaestiois mutatur, ut patet. Porro quomodo prudens, prudenter judicans, semper aut non semper discernat & approbet media, quæ sunt conformia appetui rectò, fusè explicabitur quaest. 41.

13. Hinc apparet, quid dicendum sit ad applicationem argumenti ad opiniones æquæ aut etiam minùs probabiles, qua in re Celladeus notabilem passus est æquivocationem. Omnis opinio probabilis sumi potest vel directè & exercitè, prout est actus intellectum informans; vel signatè & reflexè, prout est objectum, & circumstantia quadam objectiva, per quam cognoscimus, objectum probabilis iudicio à nobis credi licitum; vel demum ipsa opinio non sumitur pro iudicio existente, sed solùm pro motivo, quibus intellectus stimularur ad assensum, sive eliciat, sive non eliciat ipsum. In primo sensu omnis opinio probabilis est magis vera quàm falsa, si sermo sit de veritate praesumpta & apparente, quamvis aliquando contingat talem propositionem esse re ipsa falsam. Verum hoc prudentiæ non opponitur, ut certum est ex dictis. In secundo sensu hæc eadem locum habent, & præterea reflexè cognoscuntur; ex illis autem reflexè cognitis nova oritur consultatio, qua intellectus respicit objectum ut substans conscientiæ rationabiliter constitutæ, atque ex hoc ipso per principia synderesis reflexa certò infert, objectum illud esse hic & nunc licitum in istis circumstantiis. Jam hæc reflexa consultatio est absolutè vera, immò est certa & evidens, ideoque & prudens per conformitatem cum suo objecto, quamvis prudentia iudicii directi aliundè sumi debeat juxta dicta.

Opinio probabilis tripliciter sumitur.

14. Tertius sensus respicit opinionem probabilem, ut reflexè cognitam, quatenus illa exprimit objectum prout substans motivis probabilibus, majoribus, æqualibus, vel minoribus. In hoc sensu opinio non sumitur exercitè pro iudicio intellectus, quia omne iudicium fertur in suum objectum, tamquam in partem probabiliorem & unicè veram, partemque contrariam absolutè repellit ut falsam. Itaque in hoc sensu opinio minùs aut æquè probabilis non potest accipi pro actu iudicativo, & consequenter neque pro actu prudentiæ. Nihilominus sumi potest pro objecto, de quo reflexè cognito prudentia plura enunciat, nempe quòd tale objectum, prout substans motivis probabilibus æqualibus vel minoribus, sit licitum, quod est verissimum. Verum intellectus in hoc casu non movetur illis tantum motivis, quæ supponit & agnoscit esse aliis minoris, quia eo ipso reputaret illa esse absolutè majora, cum suum cuique opinatum sit probabilis. Movetur ergo novis motivis reflexis apud ipsum prævalentibus, adeoque fertur in suum objectum tamquam verum, cum oppositum resellat ut falsum. Unde hoc iudicium

Omnis opinio probabilis in omni acceptione magis se habet ad verum quàm ad falsum.

dicium reflexum, de licito opinionis directè minus probabilis usu, est prudens, & à prudentia elicitur, & magis se habet ad verum, quàm ad falsum.

**Equivoca-  
tio Celladei.** 15. Idem prorsus dico de illo alio iudicio reflexo, quo dicimus, motivum æquè aut minus probabile fundare posse assensum prudentem, in qua propositione malè intellecta præsens Celladei æquivocatio fundatur. Sensus enim est, motivum hoc, quod ego hîc & nunc in actu secundo reflexè agnosco esse minus probabile, quàm motiva parti contradictoriæ faventia, tantas vires habere, ut mediante voluntatis imperio movere possit intellectum ad assensum, quo in actu secundo absolutum assensum præbeat propter illud, illudque in actu secundo tamquam probabilius præferat, quamquam in actu primo, ante omnem voluntatis affectum, quo intellectus ad unam partem per voluntatis imperium fluctuat, verè minus traheret ad assensum, quàm motivum oppositum, sed excessu aut indiscernibili, aut certè signatè non notato. Rursus dicimus, talem assensum esse prudentem, tum quia à prudenti & honesto voluntatis imperio procedit, tum quia nititur motivo adeo vehementer inclinante, ut illud aptum sit movere peritum ad assensum, adeo ut qui tali motivo post debitam rei investigationem fidem daret, meritò reprehendi non posset tamquam temerarius, aut incautus, sed laudari deberet tamquam rationabiliter & cautè iudicium preferens.

**Opinio minus proba-  
bilis magis  
se habet ad  
verum, quàm  
ad falsum.** 16. Verùm hîc aliud mysterium detegendum est, quod, ut apparet, Celladeum latet. Scilicet, quòd opinio minus probabilis, etiam quàm talis, non magis se habet ad falsum, quàm ad verum, quamvis minus se habeat ad verum, quàm opinio contraria. Omnis enim opinio solùm se habet ad verum, nullo autem modo propriè se habet ad falsum. Motiva enim suadentia veritatem alicujus opinionis, denominant objectum illius opinabile, illanque constituunt in ratione opinionis. Porro hæc motiva solùm tendunt ad veritatem, licèt non tanta vi tendant, ut excludant alia motiva, quibus oppositum representari possit. Itaque omnis opinio directè tendit ad verum, non ita tamen, ut ex necessitate quadam semper excludat falsitatem, aut motiva oppositum suadentia. Hoc autem est opinionem, ut opinio est, solùm respicere veritatem, eamque suadere, sed imperfectè, & quantum est ex se defectibiliter. Itaque utraque opinio magis est ad verum, quàm ad falsum, quamvis una majori vi tendat ad verum, quàm altera, aut, quod idem est, quamvis una

majori vi tendat ad falsitatem alterius, quàm ipsa ad suam veritatem. Quod dico est paulò subtilius, sed evidenter apparet inter duas opiniones contrarias actu existentes in diversis intellectibus, quarum altera est paulò probabilior altera. Utraque enim tendit ad verum, sed una fortius alia, & quidem una debilius tendit ad suam veritatem, quàm altera ad ipsius falsitatem, ut patet. Idem prorsus valet de opinionibus, quæ consistunt non in actualibus judiciis, sed solùm in objectis, prout substant motiva ad assensum propellentibus, quia eadem prorsus quoad hoc est utrarumque conditio. Hæc si Celladeus cogitasset, nunquam dixisset, opinionem æquè aut minus probabilem, æquè aut minus se habere ad falsum, quàm ad verum. Ruit ergo conclusio, qua dicit, motivum æquè aut minus probabile non posse fundare iudicium prudens, eò quòd non magis se habeat ad veritatem, quàm ad falsitatem, quia fundamentum labitur; siquidem quævis opinio magis se habet ad veritatem, quàm ad falsitatem, ideoque ex hoc capite non tollitur, quò minus quodvis motivum probabile fundare possit iudicium prudens.

17. Præterea omne motivum, sive magis sive æquè, aut minus probabile non-solùm apparenter, & repræsentativè, sed etiam realiter se habet magis ad verum quàm ad falsum, quia in hoc consistit propria & intrinseca magnitudo motivi probabilis, quòd sit impetus quidam intellectus ac rationalis tantæ magnitudinis & efficaciz, ut ex vi suæ magnitudinis sæpius connectatur cum vero quàm cum falso, eò quòd ex omnibus objectis tanta veritatis apparentiæ repræsentatis, plura sint vera quàm falsa. Itaque lumen intellectuale, seu stimulus proprius motivi probabilis ex propria sua natura magis se habet ad verum quàm ad falsum, & plerumque connectitur cum vero, quamvis per accidens hîc & nunc in hac peculiari materia conjungatur cum falso. Hoc quomodo verum sit, ac utriusque contradictionis parti conveniat, fusè & ni fallor dilucidè explicui in *quæst. 2. de Consc. prob. num. 11.* & multis sequentibus, quem locum consulat, qui de his exactiorem notionem requirit. Interim ex hisce solvitur argumentum Celladei, simulque detegitur hallucinatio ipsius, qui opinioni unius partis ea tribuit, quæ opinioni alterius partis conveniunt, ac deinde ex hoc, absque ulla probatione admisso, infert singulas opiniones ita se habere, ac si singulis ea convenirent, quæ non illis, sed illarum contradictoriis conveniunt.

Omne motivum probabile magis se habet ad verum reale, quàm ad falsum.



QUÆ-